

fertur suscepta, cæterorumque martyrum reliquiis admista, Papiam usque deferendo exsultantibus animis pariter deveniunt eundo. Ibi ergo propter jumentorum refectionem et propter longioris viæ reparationem statuerunt sibi per aliquot dies in eadem Ticinensium videlicet Papiæ civitate gratissimam indulgere repausationem. In hoc morarum suarum articulo, contigit legatos sanctæ Romanæ Ecclesiæ a Romano directos pontifice Ticinum advenisse. Itaque veriti de adventu illorum sibi aliquid incommodi vel etiam impedimenti accedere posse, sapienti consilio sapienter præsentiam illorum maluerunt anticipare. Confestim ad invicem secretorum suorum detegunt notitiam, et per ordinem exponunt interiorem cordis scientiam. Illi Romani pontificis legatio se quantocius manifestat in Gallias ad imperatorem iter velle arripere, quia cogebat illos non minima festinare necessitas sedis apostolicæ. Qua de re facti nostrates solliciti, fidelitatem proponunt simul et amicitias abbatis Hilduini, auctoritatem quoque insuper piissimi imperatoris Ludovici certis innotescunt indicis, et translationem sanctorum præfatorum martyrum in Gallias luculenta ratione manifestant.

12. Sicque factum est ut quos prius querulos habuere derogatores, postmodum per omnem viam fidissimos reperirent suffragatores. Ita totum factum est, et sic per conjecturas mansionum, per pericula et anfractus Alpium, tandem ad Sanctum pervenerunt Mauricium. Ibi causa repausationis suæ diem cum nocte peragunt ad integrum. Enimvero mox illa sanctorum corpora vilibus loculis inclusa, holosericeis linteis pretiosius et dignius involuta, feretri vehiculo decenter imponuntur, aureis peplis desuper obtecta. Inde cum laudibus et promoti, comitante Dei gratia, thesaurum desiderabilem palam et aperte cum adiutorio populi occurrentis undique usque ad diu præoptati ruris confinia deportavere.

13. Jam tunc temporis adventus sanctorum fama non minima longe lateque sese resperserat: et ideo velut ex umbilico terræ innumerabilis erumpebat populus circumquaque. Ipsa denique Augusta Suessorum a duobus fere millibus tota pene

civitas eis obviam ruit, et sacras exuvias usque ad transitum fluminis Axonæ laudantes in jubilo vocis cum laudibus deduxere. Ex alia parte fluminis religiosa monachorum concio, ecclesiasticis redimita infulis, cum pluribus aderat fidelium turmis, quæ geminatis gaudiis tantis se gaudet frui patronis, et adesse præsentium martyrum spectaculis. Inde pariter incedentes, et diem variis luminibus argentes, cum thymiamateriis procedunt, et crucibus auro gemmisque pretiosis affabre distinctis ordinibus solemniter exsultantes, in hymnis et canticis spiritualibus invehunt in secretis basilicæ sancti Medardi penetralibus.

14. Anno Incarnationis Dominicæ 828, n. Idus Julii, venerabilis abbas Hilduinus suscepit corpora sanctorum martyrum Tiburtii, Marcellini et Petri, Marii, Marthæ, Audifax et Abacue, et apud sanctum Medardum in loco celebri honorifice collata penes venerabile corpus inclyti martyris Sebastiani deposita, cujus adventus et exceptionis corporis ille tertius annus tunc extitit temporis. Ibi specialiter usque in hodiernum diem ab omni populo cum omni veneratione coluntur, et debito religionis honore corporaliter habita servantur; et sicut gloriosiores faciunt milites vulnera pro imperatore suscepta, ita et ipse Deus rex martyrum Dominus noster Jesus Christus, suorum militum imperator gloriosus, pro confessione sui nominis prætexta martyrii purpureos in omnibus miraculorum signis et virtutibus efficit gloriosos. Sed quia per idem tempus pene ab ipsa ultima Tyle fiebat ad ipsum locum innumerabilis omnium concursus propter frequentiam sanitatum atque signorum, quæ indiscrete fiebant in præsentia ejusdem martyris Christi Sebastiani, singulariter ac proprie cuncta miraculorum insignia diebus in illis habita ad præfatos sanctos martyres quamvis nequeant cuncta referri, communia tamen credis: Iva fide possunt esse et dici. Vere et absque ambiguitate ulla propter hoc præcipue fuere communia; quoniam sicut apud Deum æquales creduntur meritis, ita non absurde putantur in pertrantis miraculis communiter operari.

ODILONIS MONACHI

EPISTOLA AD HUGBALDUM MONACHUM S. AMANDI

(Apud Marten. Ampliss. Collect., tom. I, pag. 266.)

Priscæ gravitatis tenore conspicuo omnique probitatis genere permodesto domno HUGBALDO humanis divinisque studiis experientissimo ODILONE peccator, vera et indissolubilis amicitiae copula etiam quæ Christo glutino nectitur.

Hunc vestræ fidelissimæ paternitati, ex quo primum præoptabilem vestræ dilectionis gustum abs-

que ullius prærogativa meriti prælibari promerui in deficientem in plenitudine charitatis inesse sine contentatione non ambigo, et ut finetenus sic maneat letis viscerum præcordiis ambio et exposeo. Misisti mihi libellum de Vita beati Lebuini amici Dei prædenter ornateque compositum, omnis philosophiæ partibus undique roboratum, quem quidem legi, et

nil quod in eo corrigeretur, sed quod discendo et imitando quisquam proveheretur, reperire potui. Magno, ut vere fateor, polletis ingenio, infinitam sermonis habetis suppellectilem, nil Latinius eloquentiæ vestræ, nil pulchrius, nil unquam legi dulcius. O felix Gallia, quæ tali illustratur doctore! Miror cur mihi imperito nulliusque momenti ac meriti flores eloquentiæ vestræ miseritis discernendos. Non debuissetis me annorum numero æstimare, nec sapientiam canis, sed canes sapientiæ reputare, Salomone testante: *Canis hominis prudentia ejus*. Permutatis in me rerum ordinem, et quod ego a vobis exigere debueram, sicuti et

A feci de virtutibus domini mei Sebastiani, vos quem pharum totius prudentiæ omnes mirantur Gallie. meam quantillitatem non dedignati estis expetere. Sed ignisco dignationi vestræ. Nostis exaltari, nostis et humiliari. Et Scriptura præcipit: *quanto magnus es, humilia te in omnibus*. Fecistis quidem hoc non necessitate, sed voluntate et ob genium nostri loci meoque amore. Obnixè deprecor uti mei sitis memor inter orandum.

Huchaldo sopho sophia sit semper amica,
Huchaldus sophus sophiæ semper amicus.
Exposco hoc Odilo peccator cernuus ego.

ODILONIS MONACHI

SERMONES TRES

(Bibliotheca Floriacensis, tom. II, pag. 136-133).

SERMO DE SANCTO MEDARDO.

Operæ pretium est, fratres charissimi, ut in memoriam revocetur quo excellentiæ cultu et religionis propectu, locus beati Medardi per succedentia tempora effloruerit, et in servorum suorum hostes quanta interdum ultione ejus ira efferbuerit. Clotarius namque rex Francorum, benevolus erga obsequium et reverentiam sanctorum, quod ante mortem sanctissimo sponderat viro, post delibationem corporis illius, efficaci in quantum licuit administravit studio. Collectis enim necessariis in sumptus, ad perficiendum quæ vel regifico luxu, vel promptissima quorumcunque fidelium oblatione exhibita sunt, nobile templum construere, mira peritorum cepit latomorum arte. Hoc itaque subtili fundatum artificio, luculenti satis superque propectus ingenio, ad unguem in brevis temporis spatium perduxisset, nisi communis eum mortis sententia, heu proh dolor! rapuisset. Nam Turonis ad sanctum Martinum gratia pergens orationis, piis illum precibus ac muneribus placuit, circumquaque etiam posita monasteria præcordiali perlustrans voto, singulis prout visum est donaria distribuit, dictante Spiritu sancto. Regressus ergo in Gallias, venatum in Cotiæ saltu abierat; ibique valida febre correptus, corporis cepit destitui viribus. Inde ad Compendium villam reductus, viamque humanæ carnis ingressus, regni reliquit habenas, qui suæ ditioni exteras quoque nationes subjugaverat: Cujus corpus suorum officii, funebri triumpho Suessionicæ illatum est civitati; et in eadem quam cœperat, necdum finierat basilica, condigna ante sanctum Dei tumulatum reverentia. Hujusmodi quippe habere debuit sepulturam, qui in eo stabilem suæ mentis deflexerat anchoram;

A quatenus ab illo nec morte posset dissolvi, quem in vita unico semper affectu habuit. Decessu autem illius lugubri, gravissimo omnis Gallia mœrore infremuit, et opus illud egregium, permutatione regalis sceptri, elanguit suspensum. Sed sicut malæ soboles, actiones malorum parentes imitantes, ad reatum eorum, paternæ existunt prævaricationis hæredes; ita boni filii, ex bonis procreati parentibus, ad laudem illorum, omnibus excrescunt virtutibus. Sigebertus ejusdem filius Clotarii, patri unanimi Francorum consensu in regnum successit; studiosus divinæ religionis fundator, sicut indefessus Christianæ professionis æmulator. Hic intimo cordis provocatus zelo, eodem quo et pater erga sanctum Dei amoris flagravat incendio, et opus quod illius morte fuerat interruptum, pietatis studio, prospere usque ad ipsum perduxit fastigium. Quod scilicet cœnobium, utrobique miranda sui habitudine conspicuum, interius ordine simul et religione cleri, decenter adornavit; exterius vero prædiorum suorum delegationibus, solemniter ampliavit, feliciter extulit, strenue provexit. Deinde fraternæ inhians neci, cum in Tornaco civitate Chilpericum obsidere, præparatis disponderet insidiis, versutia Fredegundis uxoris suæ regimini terminum imposuit, pariter et vitæ; gladium enim quem fratri intentaverat, in sua versa vice retorsit viscera; et inde protinus interiit, unde cæca mente ulterius insidiabatur sanguini. Hunc enim Teruennaenses gemini tyrones, fraudulentè super se in regem elevare stimulantes, spiculis repente improvisum vibraverunt per latera, et invitam evomere ipsi pariter procumbentes compulerunt animam. Cujus corpus pretiosis vestibibus involutum, Lambris est eum ingenti suorum mœrore perlatum, et postea in eadem quam mirifice construxerat basi-